



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus IX. De debitore ad sovendum suis creditoribus impotente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS IX.

De Debitore impotente ad solvendum, & alienante rem in fraudem Creditorum.

Titius mercator post contracta multa debita videns se ad ea solvenda impotentem, prædium, quod 1000. fl. emerat, vendit 800. fl. Cajo scienti Titium impotentem esse ad contracta debita expungenda, & ex 800. illis florenis, 400. tradit Calmo genero suo in dotem filiae suae Theresiae.

QUÆR. I. An Titius conscius suae impotentiae solvendi Creditoribus, licitè, ac validè prædium vendiderit?

QUÆR. II. An Cajo, sciens Titium impotentem esse ad solvenda sua debita, peccaverit contra Justitiam emendo prædium Titii, & teneatur in foro conscientiae ad restitutionem creditoribus faciendam?

QUÆR. III. An Calmus dotem à Titio sic acceptam teneatur restituere Creditoribus, & an, & qualis detur actio contra Filiam Theresiam post mortem mariti?

61 **A**D I. Q. Dicendum est, Titium illicitè quidem egisse prædium ita alienando, contractum tamen probabiliter validum fuisse. Ita cum pluribus Cajetan tom. 2. tr. 6. cap. 4. Molina D. 328. Lugo D. 20. §. 6. Ratio prioris partis est, quia id factum est cum injuria, & in fraudem, ac præjudicium Creditorum; tunc enim in fraudem Creditorum censetur aliquid alienatum, quando debitor aliquid alienat, videns per eam alienationem non remanere sibi sufficientia bona ad debi-

ta solvenda, ut Cod. & ff. quæ in fraudem Creditorum, habetur. Inst. quibus ex caus. manumit. non liceat in princ. & §. in fraudem; atque Inst. de action. §. Item si quis in fraudem &c. Neque, ut alienatio facta censetur in fraudem Creditorum, requiritur necessariò intentio & animus eâ viâ defraudandi Creditores, sed sufficit sola scientia, ut ex citt. jur. probat Molina l. c. Porro satis convenit inter DD. etiam si debitor sit jam impotens ad satisfaciendum omnibus Creditoribus, posse tamen
ab

ab eo per contractum onerosum rem aliquam non hypothecatam alienari, & accipi, quando contractus ille nullatenus reddit debitorem magis impotentem, ut si debitor vendat domum pro pretio iusto, quod pretium expendere vult in rem aliam æquæ, vel magis utilem ad solvenda sua debita; quia tunc nulla fit injuria Creditoribus.

Ratio posterioris partis, quod ille alienationis contractus sit validus, est, ut à pari arguunt ctt. DD. contra Sotum *l. 6. de Just. q. 1. a. 4.* quia, qui vendit rem uni, & neque illam ei tradit, neque subjicit hypothecæ, & postea eandem rem vendit, & tradit alteri, secundus emptor in eo casu comparat dominium illius, & contractus est validus sed injustus, tam ex parte venditoris, quam emptoris, si hic sciebat rem esse alteri venditam, propter injuriam, quæ primo emptori irrogatur, qui tamen, quia solum habebat actionem personalem in venditorem, & non realem in rem ipsam, non impedit, quominus valida sit secunda venditio, & dominium transferatur: ergo pari modo, in posito casu, quo prædium Titii debitoris non erat sub dominio Creditorum, sed alienantis, nec hypothecatam, nec ullum onus reale habebat, uti supponitur, sed solum actionem personalem contra debitorem,

potuit ex voluntate Domini validè alienari, licet id illicitè, & injustè factum sit.

Ad 2. Q. An Cajus, non obstante quòd dominium comparaverit, emendo prædium mala fide, seu cum scientia impotentia Titii ad solvendum, peccaverit contra Justitiam, & ad restitutionem teneatur, variæ sunt DD. sententia, ut videre est apud Vasquez de *restit. cap. 11. dub. 3.*

Molina l. c. ait. si ille, qui à debitore rem accipit, ex quo debitor impotens reddatur ad restituendum creditoribus, sive eam titulo oneroso, sive lucrativo accipiat, sciat, debitorem per hoc fieri impotentem ad solvendum suis Creditoribus, & tamen incitet & inducat debitorem ad ita alienandum in præjudicium, & damnum Creditorum, peccare contra Justitiam, & per consequens teneri ex injusta latione ad restituendum Creditoribus pro damno dato; non secus, atque is ad restitutionem teneretur, qui debitori suaderet, ne Creditoribus satisfaceret. Si verò ad id non incitet, sed debitore offerente, ipse acceptet rem oblatam, tunc si id, quod ita alienatum est, petatur à Creditoribus intrà annum à die scientia, teneri accipientem restituere id, quod accepit, vel ejus valorem, si non extet. Si

autem à Creditoribus non petatur id, quod ita in eorum fraudem accepit, vel petatur elapso jam anno à die scientiæ talis alienationis, nec in exteriori, neque in conscientiæ foro teneri ita acceptum restituere: Non in foro exteriori; quia jura in eo eventu solum concedunt actionem rescissoriam intra annum à die scientiæ talis alienationis, citt. *§. item si is in fraudem &c. Leg. penult. Cod. qua in fraudem creditorum &c.* Unde si res non petatur, vel petatur elapso jam anno à die scientiæ, is, qui rem ita accepit, non cogetur illam in foro exteriori restituere.

Neque in foro conscientiæ; quia si non incitet debitorem, non peccat contra Justitiam, sed utitur jure suo intra Justitiæ limites, accipiendo, & suam efficiendo rem in se liberam, seu nulli alteri obligatam, cujus dominium per alienationem in se validam sibi comparavit, utendo peccato dantis in suum commodum; non secus atque is, qui licitè accipit sub usuris, utitur peccato dantis in suum commodum; cumque acceptatio jam supponat totam malitiam, positam ex parte debitoris, ea per acceptationem non augetur, nec causatur, sed ponitur duntaxat effectus illius malitiæ præcedentis. Huic sententiæ suffragatur etiam Less. *dubit. 19. n. 168.* cum aliis à se citt. additque, quando incitasti, & induxisti ad alienandum conscius impotentia debitoris, teneri te quidem ad restituendum, si

verè hæc impotentia sit causa non solvendi; secus si impotentia non sit causa, v.g. si debitor ea esset industria, ut posset facillè tantundem satisfacere, tunc enim, si non restituit, non est, quia alienavit, sed quia negligens est. Relicta hac opinione in sua probabilitate,

Dicendum nihilominus est cum 63 communi, & veriore sententia, eum, qui sciens rem alienari in fraudem Creditorum à solvere impotente, eam emit, in foro conscientiæ teneri ad restitutionem Creditoribus faciendam, non solum intra annum, sed etiam anno jam elapso, quantum ex eo contractu læsi sunt Creditores, sive ad id inducat sive non inducat. Ita Lugo l. c. Valq. *dub. 3. citt. Rebell. l. 1. de contract. q. 7. S. 2. Bonacina de restit. in gen. D. 1. q. 8. pun. 2. Sylvest. Angelus Aragon. aliique apud Covar. 3. variar. cap. 3. apud Azor. 3. p. l. 5. de usura c. 14. & Valentiam tom. 3. D. 5. q. 21. p. 3.* Ratio est; quia ille, qui mala fide accipit, seu conscius fraudis, & damni Creditorum, eo ipso peccat peccato injustitiæ contra Creditores; cooperatur enim sic accipiendo actioni injustæ damnificativæ, & impedimento, quo debitor reddit sibi impossibilem solutionem, & quidem cooperatur non indifferenter, sed determinatè, cum facta tali alienatione, non sit in potestate debitoris postea solvere, vel non solvere: atque adeò adjuvat sic debitorem ad actionem injustam,

flam, & ad damnum injustè Creditoribus inferendum, quod nullo proprio lucro, aut emolumento excusari, aut justificari potest, cum sit cooperatio omninò determinata, ex qua necessariò sequitur damnum Creditorum.

Confirmat id Lugo argumento ad hominem; nam si emptor inducat debitorem ad alienandum, peccat contra Justitiam, ut concedunt Adversarii; quia tunc est causa damni injusti Creditoribus illati: atqui non minùs tale damnum causat acceptando rem gratis, vel pro pretio oblatam, quàm si induceret: ergò etiam tunc delinquit contra Justitiam. Minor. prob. quia ad damnificationem Creditorum non minùs conducit acceptatio tua, quàm inductio. Si enim tu non acceptares rem, maneret adhuc penes debitorem, & ipse non esset impotens ad solvendum: ergò per acceptationem non minùs, quàm per inductionem cooperaris ad damnum, quod Creditoribus inferitur; imò damnum, quod per oblationem debitoris solùm erat inchoatum, per tuam acceptationem perficitur, & ponitur in effectù.

64 Unde dicendum est, Cajum peccare contra Justitiam emendo prædium à Titio impotente ad solvendum suis Creditoribus, siquidem impotens erat tempore initi contractùs, & rei traditæ; nam si contraxit, quando Titius adhuc potens

erat solvere omnibus, etiamsi postea fieret impotens ad solvendum, poterit rem promissam ab eo accipere, sicut alii Creditores, ut notat Vasq. l. c. n. 72. servato tamen ordine debito Creditorum, & proportionem in solutione. Ex his colligitur responsio ad fundamentum adversæ sententiæ negantis, eum peccare contra Justitiam; peccat autem non ideò duntaxat, quia cooperatur malitiæ debitoris, sed quia cooperatur damnificationi Creditorum, & fugæ injustæ, qua debitor se liberare conatur ab eorum potestate ob impotentiam solvendi per eam alienationem causatam; & quia acceptans est causa alienationis efficacis, quæ intrinsecè constituitur ex acceptatione, atque completur tanquam ex parte essentialiter requisita, ita ut neque acceptatio sine alienatione consistere posset, nec sine acceptatione alienatio, ut adeò sicut alienatio est injuriosa, ita & acceptatio.

Ad 3. Q. An Calmus ad restitutionem dotis ita acceptæ teneatur? R. sub distinctione; vel enim Cajus dotem accepit conscius impotentia dantis, vel illius ignarus? Si Calmus dotem accepit conscius impotentia Titii dantis dotem, teneatur restituere Creditoribus ejusdem Titii, ut docent Navarr. in manual. cap. 17. n. 21. Lugo l. c. Molin; Sylvest. & alii citt. ob rationes supra insinuatatas de emptore sciente venditorem impotentem

esse ad sua debita solvenda ; si tamen dos data fuit filiæ eò, quòd talis dos necessaria fuerit ad decentiam statûs sustinendam, ita ut ea de caula possit debitor licitè, & justè cum præjudicio Creditorum restitutionem differre, vel omittere, eo in casu nec filia, nec ejus Vir ad aliquid tenebuntur ; sicut nec alii, qui ob similem causam aliquid à debitore accipiunt. Si verò gener non scivit, dotem datam fuisse in fraudem Creditorum, tunc dabitur quidem actio rescissoria contra filiam post mortem viri, sive ipsa conscia fuerit, sive non fuerit, non tamen dabitur adversus generum durante matrimonio. Ratio discriminis est, quia ipse non habuit dotem titulo lucrativo, sed titulo oneroso ; filia verò titulo duntaxat lucrativo, uti habetur, *l. ult. §. si à socero, ff. quæ in fraud. Cred.* contra quam proin datur actio, quæ durat solum per annum à scientia Creditorum, ut supra insinuatum est. Quod si filia haberet filios super-

stites ex viro suo defuncto, non cogeretur juxta Molinam, & alios, restituere dotem, quia si revocaretur dos, redundaret id in damnum filiorum, & per consequens in damnum viri, qui eam dotem titulo oneroso accepit.

Porro notandum est, quando 66 prædicta rescissoria actione aliquid idcirco reddendum est, quòd in Creditorum fraudem fuerit alienatum, reddendum esse cum fructibus, quos, quando alienatum est, habebat pendentes, esto maturi tunc non essent. Reddendum præterea esse cum fructibus, quos à puncto contestatæ litis, qua, actione rescissoria, id repetitur, habuerit ; Fructus verò reliquos medio tempore perceptos non esse restituendos, sed ad possessorem rei illius eo medio tempore pertinere, uti habetur *l. ul. §. si procurator vers. non solum. ff. quæ in fraud. Credit.*

